Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 911
Quelle:
Copyright:

Nomina vero Capitularium: *Jacobus Custos, Nicolaus de Luthomist, Wenceslaus de Har dictus Dobrman, Johannes de Dedivav, Andreas de Giwicz, Petrus dictus Wierdung, Wilhelmus de Rozmital, Bohunco de Gemist, Magister Johannes Kralowicz, Nicol. Vbaldini, Franciscus de Gewiczka, Johannes de Drachkaw, Johannes Kytlicz, Magister Johannes Neostup, Thomas Cantor.* Unde Codicem e *Bohemia* ad nos delatum puto.

CCCCI.

R. 3336 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 199. 4. min. non una manu, plerumque tamen nitide perscriptus, minioque distinctus, paullo tamen, praecipue circa finem, pejus habitus continet *Expositiones V. T. e Libris S. Gregorii Papę* selectas eo vivente a *Paterio* Eccl. Rom. Notario et Secundicerio, et hic inscriptas: *In nomine Sanctę Trinitatis incipit Liber testimoniorum veteris testamenti. Quem Paterius De Opusculis sancti Gregorii papę cum summo studio excerpi curauit.* Ita quidem: *Uirtutes Angelicę, quę divino more* (l. amore) *fixę perstiterunt* &c. Praeit vero Prooemium ejusmodi: *Cum beatissimi atque apostolici gregorii pontificis nostri* &c. ut in Exemplo, quod *Vol.* I. P. 1. *col.* 954. produxi, et in Edit. *Maur. Opp. Gregorii* T. IV. *Paris.* 1705. P. 2. *col.* 1. Cum hac Editione compositus Textus noster inferior quidem discedit, rectius tamen legit: *me nolente atque hoc cautius* &c. quam: *me volente.* Prooemio succedit Capitulare in *Genesin* idem, quod in Edit. sed numeri contracti a LXXIX. ad LXXV. Dein Opus ipsum, in quo C. IV. in fine vel *adhibeat*, vel *ferat* penitus omittitur, nullo sententiae damno. C. XV. deest. In principio C. edit. XXII. quaedam nobis usque ad: *Quatuor modis peccatum* &c. omissa sunt. C. edit. LXXII. nobis paullo aliter incipit. Inter edit. C. LXXIII. et LXXV. deest nobis LXXIV.

A *fol.* 30. *Incipiunt Capitula Libri Exodi.* In edit. LXII. nobis LVIII. quibus C. III. XI. XVII. deest. Non possum praeterire lectionem edit. C. LVII. *Dum de visione scientiæ tractaretur*, ubi notant *Mauriani*, in Excusis legi: *de divisione scientiæ.* Utrumque prave; manifeste enim restituendum e nostro: *Dum de visione diuinę essentię.* Ceterum Capitum initia non raro verborum collocatione differunt, quod de toto opere monere velim.

A *fol.* 55. p. 2. *Incipiunt Capitula Libri Levitici.* Capitum numerus utrobique XV. C. XI. non habet illum procursum, quem in Codice supra memorato *Vol.* I. indicavi.

A *fol.* 62. *Incipiunt Capitula Libri Numeri.* Sunt utrobique XXIV. Ut specimen variationis initiorum dem, en C. XI. initium: *Cum de preponendis populo, quod morum in eis eligenda sit grauitas, & non temporum prolixitas requirenda, tractaretur, adjunctum est:*

Con-